



Iohannes ex ducissa Bavarie filius fuit Ernesti Electoris Saxonie, atque Friderici frater. natus est anno millesimo quadringentesimo sexagesimo octavo. Eum patres una cum fratre optimis precepto-ribus educandum tradiderunt, atque omnibus uirtutibus institui curauerunt. Cum adoleuissent, pater Ernestus eos secum Franckofortum ad Maximiliani electionem perduxit, anno millesimo quadringentesimo octuagesimo quinto. In eo loco Fridericum Cesarem, Albertum Brandenburgicum, & multos alios Germanie proceres etate & autoritate conspicuos, summaque concordia florentes uiderunt & salutarunt. Cum autem postea pater moreretur,

Iohannes cum fratre seniore Friderico paternam ditionem gubernarunt, atque summo animorum consensu una uixerunt. Deinde cum Maximilianus Austriam, extincto Mathia Ungaro, recuperaret, Iohannes in exercitu eius fuit, & in oppugnatione Albe regalis egregium specimen uirtutis edidit, dum inter primos moenia ascenderet. Erat enim ei corporis robur militare, & animus natura non solum fortis, sed etiam eodem firmior, quia cum casto & honesto uiueret, nec impediretur ullius sceleris conscientia, laetus & petebat & sperabat a Deo auxilium, & uere tegebatur Dei clypeo. Interfuit postea una cum fratre Friderico & bello Veneto. Sed quia simul abesse utrunque a patria non erat utile, & fratrem Fridericum Maximilianus Cæsar non dimittebat, rediit ipse in patriam. Erat autem eximia & illustis beneuolentia Maximiliani erga ducem Iohannem. quia uidebat in eo omnes uirtutes uiro bono necessarias, iustitiam, ueritatis amorem, fidem, constantiam, modestiam, fortitudinem, & castitatem. Nec etiam deerat ei facundia ad exponendam animi sui sententiam. itaque eum amauit, & ad arcana consilia adhibuit. Postea cum frater ex Veneto bello redisset, communi studio patriam gubernarunt, atque summa pace contra inimicorum uoluntatem uixerunt.